

alia cum pane, alia cum homine, sed vnicum est praesentia actionis, qua Christus in hoc est efficax.

Constitutis his fundamentis nunc propono exgesin doctrinae de sacra coena et ordior a definitione.

- 5 Coena Domini est ceremonia instituta a Christo in euangelio, in qua cum visibilibus elementis panis et vini fit communicatio corporis et sanguinis Christi, ita ut Filius Dei substantialiter ibi praesens sit et testetur in credentibus sese facere applicationem suorum beneficiorum et deinceps eos debere insertos esse suo corpori tanquam membra, in quibus velit habitare, perfundere eos luce, vita et gloria perpetua atque etiam corpora eorum ad immortalē vitam resuscitare. Simul autem vult ea beneficia fide accipi et suos vera inuocatione et gratiarum actione ad sese [24:] accedere et vult hunc ritum esse neruum publicae congregationis eumque veram ecclesiam distinguere a coetibus idololatricis usque ad ultimum suum aduentum ad iudicium.<sup>81</sup>
- 10 15 Primum in declaratione nostrae definitionis hoc esto: Magnae rixae sunt de forma substantiali coenae, et plurimi aiunt non satis esse loqui de fructu coenae, sed dicendum etiam de substantia, quia in verbis institutionis manifeste duo ponit: praesentiam substancialē et finem. Philosophi dicunt proprie imperitorum esse respicere ad pauca et non insistere considerationi fundamentorum in causa. Ita in hac controvērsia plurimorum oculi haerent in symbolis et illis spectaculis et negligunt interea hoc, quod est principale. Rursus repeto cogitandum esse de praesentia actionis, quae homini salutaris est, non de allegatione corporis ad symbola; ita omnia erunt plana. Formale huius actionis et sumptionis est communicatio corporis Christi et eadem κοινωνία Christi et
- 20 25 piorum recte nominatur finis coenae, sicut usitatum est in relatiis. Distinctio agrorum est formale et finis limitis. Huic deinde formalis et finis respondet aliis finis correlatius, de quo dicit: „Hoc facite in mei commemorationem.“<sup>82</sup> Vult enim Filius Dei a suis sociis et confoederatis vicissim agnoscit et celebrari. Finis distinctionis agrorum est, ut sopiantur lites, ita finis unionis cum
- 30 35 Christo est, ut hoc modo Filio Dei colligatur ecclesia, quae eum vere agnoscat et celebret. Concurrunt deinde alii fines, quos nomen commemorationis complectitur, de quibus postea dicturi sumus. Ad hanc nostram sententiam plane congruunt dicta veterum, qui docent, eucharistiam constare ex re duplicitate: terrena et coelesti.<sup>83</sup> Formale igitur huius actionis est, ut cum terrena detur nobis coelestis res, id est fiat unitus inter nos et Christum. In definitione asservimus, Christum in hac actione adesse substantialiter, ut expressum extet testimonium contra omnes fanaticos et enthusiastas, qui fingunt hanc sacrae

<sup>81</sup> Vgl. zu dieser Abendmahlsdefinition und der Bestimmung des Nutzens Philipp Melanchthon, Examen ordinandorum (1559), in: CR 23,61f.

<sup>82</sup> Lk 22,19; I Kor 11,24.

<sup>83</sup> Irenäus von Lyon, Adversus haereses IV, 18,5, in: PG 7, 1029 (FC 8/4, 146,10f).